J. Medina
14. X. 65

GS/14B

PARS I

DE ECCLESIA ET VOCATIONE HOMINIS

Caput I

DE HUMANAE PERSONAE DIGNITATE

10. (Impulsionibus Spiritus respondendum) Populus Dei ( ), in vita omnium hominum intime implicatus ( ), sciens se a Spiritu Domini duci qui replet orbem terrarum ( ), in eventibus, postulationibus, optatis, quorum una cum ceteris nostrae aetatis hominibus partem habet, quae nam in illis sint vera signa praesentiae vel consilii Dei discernere ( ) satagit. ( ) Ad tantum munus subeundum omnes vires humanae colligi debent, intellectus et vis inventiva, omnes tum mentis tum cordis facultates, omnes denique scientiae disciplinae ( ). Fides autem omnia novo lumine ( ) illustrat et divinum propositum de integra hominis vocatione manifestat ideoque mentem versus solutiones plene humanas dirigit.

Ideo Concilium imprimis illos "valores", qui hodie maxime aestimantur, sub hoc lumine diiudicare et quomodo ad fontem suum divinum referantur ostendere intendit. Quid Ecclesia de homine cogitet explanabit (cap.I). Deinde normas aliquas directivas inculcabit, quarum observantia in societate hodierna ei speciatim necessaria videtur (cap.II). ( ) Significationem ultimam humanae operae in universo mundo illustrabit (cap. III). Exinde insertio populi Dei in genus humanum, servitium quod ambo sibi mutuo praestent, et tandem indoles religiosa et consequenter summe humana missionis Ecclesiae in mundo hodierno luculentius apparebunt (cap.IV).

11. (De homine ad imaginem Dei). Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, omnia huius mundi ad hominem, tanquam ad centrum suum et culmen, ordinanda sunt.

Quid vero est homo ? Multas opiniones de seipso protulit et profert, varias et etiam contrarias, quibus saepe vel se tanquam absolutam regulam nimis exaltat, vel se usque ad desperationem deprimit sic haerens in dubitatione et anxietate. Quas quidem difficultates sentiens, Ecclesia a Deo revelante instructa responsum offerre potest, quo vera hominis conditio delineatur, eius infirmitates et defectus explanantur, simulque eius dignitas et vocatio recte agnosci possunt. | no solo la Iglesia: los xtianos.

Sacrae enim Litterae docent hominem "ad imaginem Dei" creatum esse, capacem cognoscendi et amandi suum Creatorem, super conctas creaturas visibiles ab eo constitutum tanquam dominum (1), qui eas intelligeret et regeret, eis ad serviendum Deum uteretur (2), et per eas sese ad Principium et Finem suum supremum dirigeret. "Quid est homo", ita ait Psalmista, "quod memor es eius ? aut filius hominis, quoniam visitas eum ? Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius" (Ps.8,5-7). (marcianus?) D. Helder. | heb. es muy dif.

Deus vero non creavit hominem solum. Inde a primordiis "masculum et feminam creavit eos" (Gen.1,27). Quae consociatio viri ac mulieris primam formam efficit communionis personarum, ad stirpem humanam propagandam instituta, et ad socio-

tatem in amore et mutuo adiutorio condendam. Cum totum humanum genus ad imaginem Dei creatum sit, homo (p.15,30 ss.) homini similis est, atque sine relationibus cum aliis nec vivere nec suas dotes expandere potest; ita ut vita socialis ( ) necessario eius intimam naturam consequatur: commercio cum aliis, mutuis officiis, colloquio cum fratribus ( ) vocationi suae respondet et seipsum quoad omnes suas dotes perficit. Ad similitudinem creatus Dei, qui caritas est (3), homo diligere et sese libere pro aliis impendere potest et debet; eorum autem personam laedere prohibetur, cum Dominus solemniter declaraverit se ab homine sanguinem omnis hominis requisiturum: "ad imaginem quippe Dei factus est homo" (Gen.9,6).

Deus, sicut iterum in sacra Pagina legimus, vidit "cuncta quae fecerat, et erant valde bona" (Gen.1,31). Iuvat ex ipsa experientia percurrere ista bona quae homo a Deo accepit quibusque uti debet ad Dei gloriam, fratrum adiutorium, et suiipsius perfectionem.

12. (De corpore et anima). Corpore et anima unus, homo universas mundanas creaturas in se colligit et culmen vitae terrestris constituit. In corpore eius elementa mundi materialis et cuncta quae super faciem terrae vita moventur, fastigium suum attingunt, et ad liberam sui Creatoris laudem vocem attollunt, in totius mundi symphonia, ore hominis proferenda (4).

Ita constitutus, homo non tantum cum hoc mundo conseritur super quem virtute mentis agere valet, sed seipsum per corpus exprimendo, ( ) etiam cum aliis hominibus communionem et colloquium instituit. ( ) Homo totus, omnibus viribus suis, tam spiritualibus quam corporalibus, ad laborandum non sine sudore, ad gaudendum, sperandum et amandum destinatur, nec homo esset si de carne et sanguine non participaret (5).

Vitam ergo corporalem homo despicere non potest, sed e contra corpus suum, utpote a Deo creatum et ultimo die ressuscitandum, bonum et honore dignum habere debet, tamquam ad suam vocationem personalem intimo modo pertinens. Ipsa dignitas eius postulat ut glorificet Deum in corpore suo (6) nec pravis cordis sui inclinationibus ipsum inservire sinat.

(p.14,31ss) Homo tamen non fallitur cum se superiorem rebus corporalibus agnoscit et ( ) seipsum non tantum ut particulam naturae aut anonymum elementum civitatis humanae considerat. Interioritate enim sua universitatem rerum ( ) excedit: ad haec profunda redit, quando convertitur ad cor (7), ubi Deus eum exspectat qui corda scrutatur (8) et ubi ipse sub oculis Dei de propria sorte decernit. Itaque, cum animam spiritualem et immortalem in seipso recognoscit, non illuditur fallaci figmento quod tantum physicas et sociales conditiones reflecteret, sed e contra ipsam abyssalem realitatem attingit. Quod tam verum est ut nihil homini prodesset, si mundum universum lucraretur, sui ipsius vero detrimentum pateretur (9).

13. (De dignitate ( ) intellectus humani). Recte iudicat homo se intellectu suo, divinae mentis speculo, universitatem rerum superare, neque ad sola "phaenomena" ( ) cognoscenda coarctari. Intelligentiam suam per saecula impigre exercendo, ipse in scientiis empiricis et artibus technicis profecit. At sapientia imbutus, etiam artem technicam ad pleniori vitae humanae inserviendum dirigat, qua practica navitate una cum

meditatione veritatis ad contemplationem et fruitionem mirabilium Dei attingit. Ceterum, etsi hodierno technico progressu fraternum inter homines colloquium plurium proficit, non in hoc campo tamen perficitur ( ), sed profundius in communione personarum et mutua reverentia erga plenam dignitatem spiritualem.

( ) Magis quam saecula anteacta, aetatis nostrae mundus altiori mente indiget ut humaniora reddantur quaecumque nova detegit; et si sapientiores quosdam homines non suscitat, sors eius futura periclitatur. Quocirca plures nationes oeconomice pauperes, sed sapientia ( ) ditiores, aliis eximium emolumentum praestare possunt.

14. (De dignitate conscientiae). In imo conscientiae ( ) legem homo detegit, quam ipse sibi non dedit, sed cui obedire debet et cuius vox ita sonat: Fac hoc, illud devita. Nam legem in corde suo inscriptam habet quam eius dignitas adimplere iubet et secundum quam ipse iudicabitur (10). Huius legis lumine, quae in dilectione Dei et proximi impletur (11), christiani cum omnibus hominibus coniuncti, solutionem inquirant tot problematum moralium, quae tam in vita singulorum quam societatis oriuntur. Quae solutio nullius individui aut coetus arbitrio relinqui potest, siquidem normis et exigentiis verae moralitatis conformari debet ( ).

Wojtyla: lib. aquí solo se considera libertad dios, su campo principal de las criaturas. *

Fernandez: lib. no solo elección, sino dominio sobre actos.

15. (De praestantia libertatis). At nonnisi libere homo ad bonum se convertere potest. Libertatem quidem coaevi nostri magni faciunt et ardenter prosequuntur; non raro tamen eam pravo modo fovent, tamquam licentiam sine freno quodcumque etiam malum faciendi dummodo delectet. Vera autem libertas, quae eximium est divinae imaginis in homine signum, eum capacem reddit sese ad Creatorem suum recte ordinandi*. Dignitas enim hominis requirit ut secundum liberam et consciam electionem agat, personaliter ab intra motus et inductus, libenter scilicet et non sub mero impulsu externae motionis ( ). Talem dignitatem vere obtinet homo cum, sese ab omni prava captivitate liberans, finem suum in Boni libera electione prosequitur et apta subsidia efficaciter ac solerti industria sibi procurat. Personalitatem suam sic detegens, simul se affirmat esse sui iuris et iuris Dei. Charue: no el mismo plano.

Deus enim ipse voluit hominem relinquere in manu consilii sui (12), ut homo eum sponte quaereret et libere ad plenam et beatam perfectionem ei adhaerendo perveniret. Istam personae humanae autonomiam tanti fecit Deus, ut praecepta sua renitenti non violenter obtruderet, sed suaviter proponeret, ei tamen officium per conscientiae vocem ostendendo et meritum sanciendo. Sic factus est homo capax sortem quam statuendi, actuum suorum ( ) onus in se recipiens et de eis rationem Creatori et Iudici redditurus. Unusquisque ante tribunal Dei referre debebit propria vitae suae prout gessit, sive bonum sive malum (13). /s

16. (De corruptione hominis per peccatum). Homo autem libertate ista abusus est, seipsum contra Deum erigendo et finem suum extra Deum attingere cupiendo. Hoc quod revelatio divina nobis patefecit, ex ipsa experientia innotescit. Nam homo cor suum inspiciens, se ad malum inclinatum comperit et in multi-

Omagn: 3 Etapas: creado, caido y no caido; y redimido. S. Pablo habla de su tiempo: 4 -

Garrone: En S.E. se habla del pecado pero junto al triunfo de Xto. Ex. falsus.

plicibus malis demersum, quae a bono suo Creatore provenire non possunt. Deum tamquam principium suum agnoscere renuens, ordinem sui ipsius ad finem disrupit, simul ac totam ordinationem suam sive erga seipsum sive erga alios homines. Tenebris intellectus necnon debilitate voluntatis afficitur, corporis rebellionem experitur, mundi materialis quasi hostilitatem patitur in labore et aerumna, sodales non amplius ut fratres aspicit, sed potius ut extraneos vel etiam inimicos qui ei adversantur quibusque seipsum sentit contrarium.

Bodrey: es pestmisica

Quod peius est, incapacem se comperit homo per seipsum tales mali impugnationes efficaciter debellandi. Non solum vires suae interiores debilitatae sunt, sed etiam ab exteriori (semper magis) ad malum invitatur (et compellitur). Corruptio enim (iam adeo) societatem et mundum pervasit, ut unusquisque ab exordio vitae suae sub tyrannide se (captivum inveniat), quasi (vinctum catenis) quibus Malum omnes et omnia imperio suo subiugare conatur.

Testante Apostolo, hae omnes perturbationes a rebellione proveniunt, qua homo, suadente diabolo, Deo Principio et Fini omnium se subicere noluit. "Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt...sed obscuratum est insipiens cor eorum,...et servierunt creaturae potius quam Creatori" (Rom. 1,21-25). Sic "alienati a vita Dei per ignorantiam...desperantes semetipsos tradiderunt...in operationem immunditiae omnis in avaritiam" (Eph. 4,18-19). Tantae corruptionis ex "insidiis diaboli" provenire docet etiam Apostolus, qui monet certandum esse non tam "adversus carnem et sanguinem" quam "adversus mundi rectores tenebrarum harum" (Eph.6,11-12). Etenim "mundus totus in maligno positus est" (1 Jo.5,19); at ipse Dominus Iesus venit ut eliceret foras "Principem huius mundi" (Jo.12, 31), qui homines in servitute peccati retinet (14).

17. (De morte devincenda). Inter signa excidii quae homo in seipso percipit, non minima certo sunt oppressio quasi continua doloris necnon certitudo mortis. Non tantum cruciatur progrediente dissolutione corporis, sed etiam magisque angitur timore perpetuae extinctionis. Recte enim iudicat instinctu cordis sui, quando totalem ruinam et definitivum exitium suae personae abhorret et respuit. Semen aeternitatis, quod ( ) in se gerit, ad solam materiam irreductibile cum sit, contra mortem insurgit, ultra quam ipse vitam permanentem et felicem non attingeret. Omnia technicae artis molimina, licet utilissima, ad suam anxietatem sedandam insufficientiam esse comperit, cum prorogatio longaevitatis biologicae satisfacere non possit illo vitae ulterioris desiderio in intimo suo corde modo ineluctabili insito.

Dum coram morte omnis imaginatio deficit, Populus Dei tamen affirmat hominem pro beato fine, ultra terrestris miseriae limites, a Deo creatum esse. Revelatione divina decursu saeculorum paulatim edoctus, scit mortem per peccatum in mundum intrasse (15), denique tamen victum iri, cum homo in salutem culpa sua perditam restituetur ab omnipotenti et miserante Salvatore. Deus enim hominem vocavit et vocat ut sibi tota eius integra natura adhaereat in perpetua communione vitae divinae incorruptibilis. Quam victoriam ad vitam Christus resurgens adeptus est (16), hominem a morte per mortem suam liberando: communicavit enim carni et sanguini hominum, "ut

per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum, et liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant servituti" (Heb.2,14-15).

Fides igitur, cuicumque recogitanti homini cum solidis argumentis oblata, responsum offert eius anxietati de sorte futura; simulque ei facultatem praebet communicandi cum fratribus jam morte praereptis, quos dilexit et adhuc diligit, cum ei spem conferat eos veram vitam apud Deum adeptos esse.

18. (De formis et radicibus atheismi hodierni). Ad colloquium cum Deo jam inde ab ortu suo invitatur homo: non enim existit, nisi quia a Deo ex amore creatus, semper ab eo diligitur et non plene vivit, nisi amorem illum libere agnoscet et Creatori suo se committat. Multi tamen ex coaevis nostris, proh dolor !, hanc intimam ac vitalem cum Deo coniunctionem nullo modo percipiunt aut explicite reiiciunt. Qui atheismus inter gravissima huius temporis facta numerandus est, (praecipue quia saepe civilisationem ipsam permeat, ita ut multitudinem magnam hominum affectet).

Voce atheismi phaenomena inter se valde diversa designantur. Dum enim quidam Deum expresse negant, alii censent hominem nihil omnino de Eo asserere posse; alii vero problema Dei ideo tantum examini subiiciunt, ut ostendant ipsum sensu carere. Multi, limites scientiae indebite praetergredientes aut omnia sola scientifica ratione explicari contendunt, aut e contra nullam omnino veritatem absolutam jam admittunt. Alii quaestiones de Deo ne aggrediuntur quidem, quia ipsi inquietudinem religiosam non experiri videntur et non percipiunt cur in vita sua de religione curare debeant. Atheismus etiam non raro oritur sive ex violenta protestatione contra malum in mundo, sive ex eo quod quibusdam humanis bonis imprimitur character absolutus, qui nonnisi Deo iure agnoscitur, ita ut pro Deo ea bona valeant. Civilisatio hodierna etiam, non ex sua natura, sed utpote nimis rebus terrestribus intricata, saepe accessum ad Deum difficiliorem reddit. (Etsi Deus solus de corde iudicare potest, tamen difficile est admittere hominem sine culpa per totam vitam in atheismo permanere).

In multis casibus certe homines Deum a corde suo non sine culpa arcere et quaestiones religiosas devitare conantur. Atheismus complexive consideratus, non est factum primitivum sed haberi debet etiam reactio critica contra religionem et quidem, quod mundum occidentalem spectat, praesertim contra religionem christianam. Quapropter in hac genesi atheismi non parva est responsabilitas credentium, quatenus, sive negligentia educationis fidei, sive sua praesentatione doctrinae, sive sua vita religiosa, morali ac sociali, genuinum vultum Dei et religionis potius velant quam revelant.

Atheismus modernus etiam formam systematicam saepe praebet, quae, praeter alias causas, legitimum optatum autonomiae hominis eo usque perducit ut contra qualemcumque a Deo dependentiam difficultatem suscitet. Qui talem atheismum profitentur libertatem contendunt in eo esse quod homo sibi sit ipse finis, artifex et demiurgus propriae suae historiae: quod componi non potest cum affirmatione Domini qui est omnium rerum auctor et finis, vel saltem talem affirmationem plane superfluam reddit. Cui doctrinae favet hodie sensus potentiae quem progressus technicus homini confert.

Fernandez: "injust". en lug. de mal.

Wojtyla: se habla de at. cientif. sin hacer referencia a argum. cientificos de exist. cientifica.

Bednorz: no es tan general.

Arcel: sólo descrip. no juicio! Muy difícil hablar de su representatividad. No se hace en E XIII. Mi es útil; hablar a su conciencia

Roi: no se identif. neid. con xtianos.

Da libre: aquí comienza un juicio, el cual debe ser disp. de n. 18, en 19.

Kowalczyk: hemos hablado benignamente, porque esperan que algo se dirá al fin sobre la persecución.

PATRIMONIO UC

Inter formas hodierni atheismi illa non praetermittenda est, quae liberationem hominis praesertim ex eius liberatione oeconomica et sociali expectat. Huic autem liberationi religionem natura sua contendit, quatenus, in vitam futuram et illusoriam spem hominis dirigendo, ipsum a constructione civitatis terrestris alienaret. Unde fautores talis doctrinae ubi ad regimen reipublicae accedunt religionem vehementer oppugnant, adhibitis ad atheismum diffundendum, praesertim in iuvenum educatione, mediis pressionis, quibus potestas publica instructa est.

19. (De habitudine Ecclesiae ad atheismum). Ecclesia, fideliter tum Deo tum hominibus addicta, desistere non potest quin perniciosas illas doctrinas actionesque dolenter, sed firmiter reprobet, quae communi experientiae humanae contradicunt et hominem ab innata eius excellentia deiiciunt. Abditas tamen in atheorum mente negationis Dei causas deprehendere conatur et, conscia de gravitate quaestionum quas atheismus excitat, eas serio ac profundiori examini subiiciendas censet.

Tenet Ecclesia gloriam Dei nullo modo hominis dignitati opponi, sed ipsam dignitatem potius fundare et perficere. Homo enim ad Deum non tantum ut servus ad Dominum, sed praesertim ut filius ad Patrem se habet, qui eum ad divinam naturam et felicitatem participandam vocat. Docet praeterea spem eschatologicam momentum munerum terrestrium non minuere, sed nova motiva ad ea prosequenda praebere. E contra, fundamento divino et spe vitae aeternae deficientibus, dignitas hominis gravissime laeditur, ut saepe ex experientia mundi hodierni patet, atque aenigmata vitae et mortis, culpae et doloris sine responsione manent, ita ut homines in desperationem saepe deiiciantur.

Remedium autem atheismo tradendum, praeterquam e doctrina, ex tota vita Ecclesiae eiusque membrorum exsurgere debet. Ecclesiae enim est Deum Patrem eiusque Filium incarnatum praesentem et quasi visibilem reddere, ductu Spiritus Sancti sese indesinenter renovando et purificando. Id imprimis obtinebitur testimonio fidei vivae et maturae, ad hoc scilicet educatae ut difficultates lucide perspicere valeat easque superare. Huius fidei testimonium praeclarum plurimi martyres reddiderunt et reddunt. Quae fides suam fecunditatem manifestare debet, credentium integram vitam, vel profanam penetrando, eosque ad iustitiam et amorem, praesertim erga pauperes movendo. Ad praesentiam Dei manifestandam maxime denique confert caritas fraterna fidelium, qui "spiritu unanimes collaborant fidei Evangelii" (Phil.1,27), et signum unitatis christianorum.

Ecclesia vero, atheismum reiiciens, sincere fatetur homines omnes, credentes et non credentes, communiter in hoc mundo habitare, omnesque ad hunc mundum aedificandum opem conferre debere. Quaerit insuper quo jure civitatum rectores inter homines credentes et non credentes discrimen inducant et quare fundamentalia iura personae humanae non agnoscant. Et pro credentibus simul actuosam libertatem expostulat ut in hoc mundo etiam Dei templum extruere sinantur.

20. (De Christo Novo Homine). Reapse nonnisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit. Adam enim, primus homo, erat "forma futuri" (Rom.5,14), scilicet Christi Domini. Christus, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam suam vocationem patefacit. Nil igitur mirum si in Eo

omnes praedictae veritates suum inveniunt fontem atque fastigium.

Qui est "imago Dei invisibilis" (Col.1,15) (17), Ipse est homo perfectus, qui Adae filios ad similitudinem divinam, inde a primo peccato deformatam, restituit. Cum in Eo natura humana, assumpta, non perempta sit (18), etiam in nobis ad sublimem dignitatem evecta est. Ipse enim, Filius Dei, incarnatione sua, Se cum omni homine quodammodo in unum coaluit. "Verbum caro factum est et habitavit in nobis" (Jo.1,14). Humanis manibus opus fecit, humana mente cogitavit, humana voluntate egit (19), humano corde dilexit. Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato (20).

Agnus innocens, sanguine suo libere effuso, vitam nobis meruit in Ipsoque Deus nos reconciliavit Sibi et inter nos (21) et e servitute diaboli ac peccati nos eripuit, ita ut unusquisque nostrum cum Apostolo dicere possit: Filius Dei "dilexit me et tradidit Semetipsum pro me" (Gal.2,20). Pro nobis patiendo, exemplum reliquit ut sequamur vestigia eius (22); non tantum autem exemplum praebuit, sed viam instauravit quam sequendo dolor et mors hominis sanctificantur novumsensum accipiunt. Homini christiano remanet necessitas ac urget officium contra malum per multas tribulationes certandi necnon mortem patiendi, sed in societate passionum Christi, configuratus morti eius, ad resurrectionem occurret (23). Si compatimur, et conglorificabimur, ut docet Apostolus (24), existimans "quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis" (Rom.8,17)(25). no sólo est.

In Christo enim e mortuis resurgente, "Novus Homo secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis" (Eph. 4,24), quem induentes renovantur homines in agnitionem secundum imaginem eius (26) et recipiunt adoptione filiorum (27), conformes facti imaginis Filii cui est ipse primogenitus in multis fratribus (28). "Spiritum vivificantem" (1 Cor.15,45) accipiunt, quo capaces fiunt legem novam amoris adimplendi (29); per eum ut "pignus haereditatis" (Eph.1,14) totus homo interius restauratur, usque ad "redemptionem corporis" expectandam (Rom.8,23): "si Spiritus Eius qui suscitavit Iesum a mortuis habitat in vobis, qui suscitavit Iesum Christum a mortuis vivificabit et mortalia corpora vestra" (Rom.8,11) (30). Quae restauratio hominis in tota sua natura, etiam corporali, fit per sacramenta fidei, praesertim per baptismum et eucharistiam, quibus homo intime particeps redditur mysterii paschalis, Christi scilicet mortui, ressuscitati et glorificati: "consepulti enim sumus cum Christo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate ambulemus" (Rom.6,4) (31).

Tale est et tam magnum mysterium hominis per Christum et in Christo recreati, quod per revelationem credentibus illucescit. Sane salus iam in Christo consummata, in unoquoque homine non perficitur nisi post propriam mortem et resurrectionem; quandiu enim peregrinamur in hoc mundo, cuius figura praeterit (32), adhuc remanemus impugnationibus peccati obnoxii, certamineque spiritus adversus carnem obstricti. Virtute tamen Christi, in quo radicatur et fundatur per fidem (33), homo christianus, dum quotidie moritur (34), jam vivit cum Christo (35), et in spe graditur ad perfectionem carita- Bolando: antiguo

Granado: se trata aquí del exect.

tis. Et non ille tantum, sed etiam omnis homo bonae voluntatis in cuius corde gratia Christi invisibili modo operatur: quia enim Christus pro omnibus mortuus est (36), credere debemus Spiritum cunctis possibilitatem offerre, ut, modo Ipsi cogni-
5 to, huic mysterio se consocient. In Christo itaque illuminatur aenigma doloris et mortis, quod extra Eius revelationem caligine nos obruit. Morte sua mortem destruxit vitamque nobis largitus est (37) ut filii in Filio, clamemus in Spiritu: Abba, Pater ! (38).

(Butler)

Garrone: ansioso: se pidieron muchas cosas y se ha corregido. Pero no se responde al estilo y se ha hecho + pesado, técnico e impersonal. Se de libertad a redactores para dar unidad.

NOTAE

Moralejo: es insuficiente para xtianos y no xtianos. Propone se adare la integra voc. de hombre, conf. al tex. anterior. En cap. II no hay conexion entre vida futura y actividad temporal.

Castellano: el tex. presupone muchas cosas y conceptos cristianos.

Dominik: no essa sólo de palabras, sino de sl. Pablo a Corintios dijo cosas + sublimes aún no tener decir cosas altas.

1 Cf. Gen.1,26; Sap.2,23
2 Cf. Eccli.17,3-10
3 Cf. 1 Jo.4,8.16
4 Cf. Dan.3,57-90
5 Cf. Heb.2,14
6 Cf. 1 Cor.6,13-20
7 Cf. Ps.84,9 in Vulgata
8 Cf. 1 Reg.16,7; Jer.17,10
9 Cf. Mt.16,26
10 Cf. Rom.2,15-16
11 Cf. Mt.22,37-40; Gal.5,14
12 Cf. Eccli.15,14
13 Cf. 2 Cor.5,10
14 Cf. Jo. 8,34-44
15 Cf. Sap.1,13; 2,23-24; Rom.5,21; 6,23; Jac.1,15
16 Cf. 1 Cor.15,56-57
17 Cf. 2 Cor.4,4
18 Ut in textu impresso
19 - - - -
20 Cf. Heb.4,15
21 Cf. 2 Cor. 5,18-19; Col.1,20.22
22 Cf. 1 Pt.2,20
23 Cf. Phil.3,10
24 Cf. Rom.8,17
25 Cf. 2 Cor.4,17
26 Cf. Col.3,10
27 Cf. Gal.4,5
28 Cf. Rom.8,29
29 Cf. Rom.8,3 ss; Gal.5,13-14
30 Cf. 2 Cor.4,14
31 Cf. Col.2,12
32 Cf. 1 Cor.7,31
33 Cf. Col.2,7
34 Cf. 1 Cor.15,31
35 Cf. Gal.2,20
36 Cf. Rom.8,32
37 Cf. Liturgia paschalis byzantina
38 Cf. Rom.8,15 et Gal.4,6; cf. etiam Jo.1,12 et 1 Jo.3,1-2.

PATRIMONIO UC

Relatio de textu emendato Capitis I

Titulus partis I secundum desiderium alicuius Patris mutatus est, quia in omnibus eius capitibus non tantum in primo, sermo est de vocatione hominis.

Prooemium (n.10) inseritur in Cap.I, ne duplex sit prooemium. Mutatus est solummodo in eo, quod servata substantia textus impressi, abbreviationes hoc signo ( ) indicantur. Aliae mutationes magis latinitatem et claritatem textus respiciunt.

Caput I
Titulus mutatus est, quia de vocatione iam in titulo totius partis primae sermo est.
Novus textus huius capitis servat structuram textus prioris et, inquantum fieri potuit, etiam ipsum textum. Tamen sat multa mutata sunt ad satisfaciendum observationibus Patrum in Aula factis vel scripto datis. Textus videtur nunc magis "biblicus" et simul humanus esse.

N. 11 (De homine ad imaginem Dei). Introductio huius numeri ita formata est, ut variis opinionibus, quae de homine proferuntur, veritas fidei nostrae praesertim in S.Scriptura enuntiatae opponatur tamquam excellens, qua in revelatione simul infirmitates explanantur et dignitas humana agnoscitur.
Breviter hic indoles socialis hominis ad imaginem Dei creati enuntiatur, quia haec indoles ipsam personam determinat. E contra specialis numerus de indole sociali ex capite I eliminatus est, quandoquidem speciale caput II de hac re agit.

N. 12 (De corpore et anima). Ad satisfaciendum desideriis plurium Patrum 'de anima' non in n.13, sed jam hic una cum corpore sermo fit. Sic melius evitatur species dualismi ; unitas animae et corporis melius effertur et ostenditur dignitatem corporis humanae eo fundari, quod anima immortali et spirituali informatur.

N. 13 (De dignitate intellectus humani). Hoc in numero exceptis variis abbreviationibus non multa mutata sunt. Similiter etiam in sequenti n. 14 .

N. 15 (De praestantia libertatis). Secundum desideria plurium Patrum in hoc numero conceptus libertatis melius a confusione liberatus est. De libertate filiorum Dei hic non iam sermo fit, quia est alterius generis quam libertas, de qua hic agitur. In libertate ipsa clarius distinguitur libertas a coactione externa a libertate interna psychica.

N. 16 (De corruptione hominis per peccatum). Antiquus numerus 16 (De sociali indole hominis) omissus est, quia totum caput II de hac re agit. Loco huius thematis numerus totaliter novus introductus est de peccato secundum desideria urgentia plurium Patrum. De peccato non tantum agitur, inquantum est realitas individualis, sed etiam, inquantum quodammodo obiectivatur in ordine sociali et in ipso mundo.

PATRIMONIO UC

N. 17 (De morte devincenda). In hoc numero secundum desideria Patrum non tantum de morte, sed etiam de dolore sermo fit. Pauca abbreviata sunt, alia debuerunt addi, ut res magis biblica fieret et melius de Christo ut victore super mortem ageretur.

N. 18 et 19 (De atheismo). Textus sub-subcommissioni speciali commissus est, cuius membra erant Eminentissimi Domini Cardinales König et Seper, cuius periti erant PP. de Lubac et Daniélou. Cui sub-subcommissioni adiungebatur tria membra Secretariatus pro non-credentibus: Exc. Dom. Aufderbeck Hnilica et Kominek et periti PP. Miano et Girardi. Secretariatus paraverat textum, qui collatus est cum animadversionibus Patrum. Divisio in duabus par. manet, sed ad meliorem claritatem sequitur propositionem Emin. Card. König, ita ut in prima par. tractetur de formis et radicibus, in 2a par. de refutatione et remediis contra atheismum.

N. 18 (De formis et radicibus atheismi hodierni). Phrasis introductiva in priori textu videtur falso loco posita; propterea nunc hoc loco ponitur. Lin.4-6 textus receptus pag. 16, lin.33-35 cum levi mutatione; in lin.6-7 habentur ex textu recepto pag.17, lin.16-17. Lin.7-8 sed. desideria aliquorum Patrum adduntur ad sublineandum aspectum quantitativum atheismi hodierni.

2a alinea tractat de formis et radicibus atheismi, systematico excepto. Descriptio amplificata est secundum animadversiones Patrum, et melius ordinata.

3a alinea continet amplificatas lineas 6-9 paginae 17 textus antiqui. Agitur de culpabilitate, sive ex parte atheistarum, sive ex parte credentium. Secundus aspectus secundum desideria explicita multorum Patrum a Secretariatu pro non-credentibus praeparatus et hic introductus est.

4a alinea agit de atheismo humanistico et systematico et secundum animadversiones Patrum fusius explanata est.

5a alinea speciatim de atheismo marxistico agit. Utrum nominandus sit nonne an non, Patres in aula dissentierunt. Subcommissioni melius videbatur, quod non nominetur.

N. 19 (De habitudine Ecclesiae ad atheismum). Haec par. pro maxima parte nova est, sed. desideria multorum Patrum a Secretariatu paratus. Agitur primo de reprobatione atheismi (secundum textum priorem) et de necessitate causas eius deprehendendi. Si radix atheismi est voluntas hominis seipsum plene evolvendi, responderi debet relationem ad Deum verum humanismum non impedire, e contra condicionem realizationis eius esse (2a alinea). Remedium essentiale contra atheismum est renovatio Ecclesiae (3a alinea). Ultimum alinea est textus prior deletis lineis 39-41, quia videntur nimis apologeticae.

N. 20 (De Christo Novo homine). Hic numerus partim retinet textum priorem sed magna ex parte mutatus est, ut melius ostendat, ea, de quibus in numeris praecedentibus sermo erat, in Christo culmen suum seu remedium habere; ut sit insuper magis biblicus. Forsan plures textus biblici per solam referentiam indicari possunt, ne textus nimis amplietur.

Romae, die 17 Oct. 65 Otto Semmelroth S.J.

PATRIMONIO UC